



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

316. Ut Episcopus super sacra non juret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

que proprio seniori ad nostram utilitatem & sui senioris, excepto his sacramentis quæ justè secundùm legem alteri ab altero debentur.

Ex eodem, cap. x.

De perjuriis ut caveantur, & non admittantur testes ad juramentum antequam discutiantur. & si aliter discuti non possunt, separantur ab invicem, & singulariter inquirantur. & non solùm accusatori liceat testes eligere absente suo causatore. & omnino nullus, nisi jejunos, ad sacramentum vel testimonium admittatur. & de ipso pago & de vicinis centenariis eligantur. & si quis convictus fuerit perjuri, perdat manum, aut redimat.

Lib. 3. Capitular. c. 10.
Lib. 2. Leg. Longob. tit. 51. c. 2. & tit. 58.

De eadem re. *Ex eodem, cap. LVIII.*

CCCXV. Ut sacramenta quæ ad palatium fuerint adramita, in palatio perficiantur. Et si sacramentales homines venire renuerint, jussione dominica aut indiculo aut sigillo venire cogantur.

Lib. 3. Capitular. c. 58.
Lib. 2. Leg. Longob. tit. 55. c. 26.

Ex lib. IV. cap. XXVI.

Ubi antiquitus consuetudo fuit, & ubi mallum habetur, ibi sacramenta jurentur.

Lib. 4. Capitular. c. 28.

Ut Episcopus super sacra non juret. *Ex Concilio Meldensi, cap. XXXVII.*

CCCXVI. Ut nullus deinceps Episcopus super sacra jurare præsumat. quod mysterij causa sancti quæsierunt Patriarchæ, & fecerunt. Non enim in hæsitacione & malitia exigentis, sed in caritate non ficta fides ser-

Concil. Meld. c. 38.

332 REGINONIS LIB. II.
vatur. Quod qui transgredi ausu temerario
præsumpserit, quolibet modo inlectus, gra-
dus sui periculo subiacebit.

Item de perjurio. *Ex eodem, cap. xxxviii.*

Concil. Meld.
c. 39.
Burchard. lib.
12. c. 1.

CCCXVII. Ut multiplex juramento-
rum & perjuriarum confusio, per quam mul-
tæ fidelium animæ in toto hoc regno perditæ
esse noscuntur, quàm sit detestanda & Deo
odibilis, attentius omnibus annuntietur. Tan-
tum namque hoc malum est ut ad sanctuaria
martyrum, ubi diversorum ægritudines sanan-
tur, ibi perjuri, licet manifestè interdum ve-
xari non videantur, justo Dei judicio à dæmo-
nibus arripiantur; & sicut sanctus dicit Gre-
gorius: *Ad horum corpora ægri veniunt & cu-
rantur, & perjuri à demonio vexantur.*

Homil. 32. in
evang.

Quo tempore sacramenta jurentur. *Ex
Concilio ad Pistas.*

Capitula Ka-
roli Calvi tit.
31 c. 33.

CCCXVIII. Constituimus unà cum
consensu & consilio fidelium nostrorum ut ab
ipso die, quo sacramentum accipitur, post
quadraginta dies & quadraginta noctes, id
est, quadragesimo secundo die de sex septi-
manis, ipsa feria qui illud sacramentum acce-
pit, legaliter in locis constitutis juret. Et si ip-
sa dies intra quadragesimam venerit, nemo
jurare præsumat. Et si quis præsumpserit,
bannum nostrum componat, & inde pœni-
tentiam episcopali judicio faciat. Ipsa autem
quadragesima à capite jejuniij cum ipsa feria
quarta usque ad illud die Lunis post octavas
Paschæ observari præcipimus.